



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 49. Ordo militaris S. Stephani in tantæ victoriæ memoriam a Cosma institutus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

## §. XLIX.

cap. XVI.  
A. C. 1554.

*Ordo militaris S. Stephani in tantæ  
Victoriæ memoriam a Cosma  
institutus.*

*Helyot. hist.  
del Ord  
monast. tom.  
6 c 32.  
Shu hist. l. 14*

Florentiæ Dux, ut hanc victoriam de Gallis partam magis festivam redderet, hoc anno militarem Ordinem sub Regula D. Benedicti instituit, eoquod hoc prælium die, qua hujus sancti Corpus fuerat inventum, commissum fuisset. Ceterum hic Ordo cum Melitensi iisdem fruitur privilegiis, pariterque fidem Catholicam tueri, ac Piratas infideles bello infestare adstringitur: præcipua vero hujus Ordinis Palatia Pisis habentur, & in eorum uno habitare solet supremus Ordinis Prior, qui magnæ Crucis Eques Pontificiis insignibus in Ecclesiasticis officiis ornatus compareret unacum suis Sacellanis, qui Ecclesiæ deserviunt, ac triplici voto paupertatis, castitatis, atque obedientiæ obstricti sunt. Equites quidem etiam eadem illa tria vota nuncupant, conjugio tamen sociari, ac præter Ordinis prædialium pensionum nomine ex beneficiis quadringentos aureos percipere valent. Præterea illi, qui vocantur Equites justitiæ, per quatuor generationes Nobilitatis suæ stemma comprobare tenentur, danturque inter eos quidam Ecclesiastici,

fiastici, omnes tamen æque rubram de-  
 ferunt Crucem octo angulis auro cir-  
 cumcinctis conspicuam, quam tamen  
 Sacellani, necnon Fratres, ut appellant,  
 fervientes nonnisi rubro serico clausam  
 gestant. Porro hic Ordo, quamvis hoc  
 anno fuisset institutus, primum tamen a  
 Pio IV. Pontifice Anno Incarnationis  
 Dominicæ millesimo quingentesimo se-  
 xagesimo secundo fuit approbatus.

§. L.

*Leonis Strozzi Melitensis Equitis  
 obitus.*

Ceterum Petri Strozzi dolor adhuc  
 magis augebatur infausto nuntio,  
 quo Leonem Strozium fratrem suum,  
 Melitensem Equitem, ac Capuanum  
 Priorem maritimis victoriis celebra-  
 rum obiisse perceperat. Hic a Fran-  
 ciæ Rege classis Gallicæ Archithalassus  
 nominabatur, quocirca dimisso Meliten-  
 sium triremium imperio in Etrusci maris  
 oram contendens ad Herculis portum,  
 quem tum Galli occupaverant, appul-  
 sus est, cui etiam Sommæ Dux, qui  
 Grosseto præerat, cum peditum agmine  
 sese adjunxit. Ad eandem quoque ex-  
 peditionem destinabantur triremes ex  
 Provincia submittendæ, quibus pariter  
 Leo Strozzius præesset, cum vero hæc  
 auxilia illum diu spe sua frustraren-  
 tur,

*Thuan. l. 14.*